

ecclesiae Misnensis solitum iuramentum, dummodo in absentia tua per procuratorem idoneum et cum ad ecclesiam accesseris corporaliter illud praestes. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Romae apud s. Petrum anno dom. inc. MCCCCLXIII. quarto decimo Kal. Novembris pont. nostri anno sexto.

Ex Reg. Orig. Pii PP. II. ann. VI. Tom. XXVII. fol. 129. im Vatican. Archiv.

No. 1065. 1463. 20. Oct.

*P. Pius II. verleiht dem Priester Baseler Diöces Marcus Decker die durch die Erwählung und beabsichtigte Bestätigung des Inhabers der obediencia s. Johannis bapt. Georg von Haugwitz zum Bischof von Naumburg erledigte Stelle als Capellan s. Johannis bapt.*

Pius episcopus — dilecto filio Marcho Decker presbytero Basiliensi, bacallario in decretis salutem etc. Litterarum scientia, vitae et morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura apud sedem apostolicam tunc vacantia et inantea vacatura collationi et dispositioni nostrae reservavimus, decerneret ex tunc irritum et inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum perpetua capellania, obediencia nuncupata sita in castro Misnensi ad altare sancti Johannis baptistae, ex eo quod quondam Georgius de Hugewicz ipsius capellaniae seu obedienciae possessor dum viveret et quam obtinebat ad ecclesiam Nuemburgensem tunc pastore carentem per dilectos filios capitulum dictae ecclesiae Nuemburgensis in episcopum Nuemburgensem electus fuit et huiusmodi electioni consensit, vacaverit et vacet ad praesens, nullusque de illa praeter nos, qui de persona dicti Georgii sic electi praefatae ecclesiae Nuemburgensi providere et ipsum ad illam promovere intendebamus, decernentes ex tunc ante obitum dicti Georgii, qui ut accepimus extra Romanam curiam diem clausit extremum, capellanium ipsam per electionem et consensum huiusmodi apud eandem sedem vacavisse et vacare ac dispositioni nostrae in omnibus et per omnia generaliter reservatam fuisse et esse, ac sub priori reservatione et decreto huiusmodi comprehendi in omnibus et per omnia, ac si promotio ipsa per nos facta fuisset dictusque Georgius munus consecrationis apostolica auctoritate de mandato nostro suscepisset, disponere potuerit sive possit reservatione et decreto obsistentibus supra dictis, nos volentes tibi, qui ut accepimus baccallarius in decretis ac dicti dilecti fratris filii nostri Francisci s. Eustachii diaconi cardinalis Senensis nuncupati capellanus ac familiaris continuus commensalis existis, praemissorum meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem, motu proprio<sup>1)</sup> — capellanium praedictam sive obedienciam, quae sine cura est et cuius fructus redditus et proventus octo marcharum argenti secundum communem estimationem valorem annum ut etiam accepimus non excedunt, sive ut praemittitur sive alias quovis modo seu per obitum dicti Georgii aut

1) Die hier ausgelassenen Stellen stimmen wörtlich mit dem Texte der Bulle No. 1064 überein.